PROGRAMMA
Quô
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
p.t. RECTOR
CASPAR Marck/
Med & Math. Pr. P.

Ad Ferias
SPIRITUI S.
Sacras
piè devoteque celebrandas
CIVES ACADEMICOS
ſedulò invitat, ſerioq; cohortatur.



ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Aō. 1664.

FEstùm adest SPIRITUS SANCTI, inter cætera piis omnibus quàm maximè venerandum, in quo Beneficiorum divinorum summum, & cæterorum omnium quasi complementum, gratiosissimam nempe Sancti hujus Numinis super non Apostolos solùm, sed omnes Christi fideles effusionem, piissimâ mentis devotione recolunt Ecclesiæ Orthodoxæ. Ingens sanè & nullâ humanæ mentis gratitudine satis agnoscendum divini Amoris documentum est, quòd gratiosissimâ perditissimi in peccato generis humani commiseratione motus *Deus Pater*, Filium suum unigenitum Hominem nasci, quodque is ὁμοούσιος Dei filius acerbissimæ passionis cruciatus sustinere, ac mori pro salute mundi indignissimi, resurgere iterum, & devictis hostibus humani generis, gloriosè triumphans redire ad dexteram Patris, pro nobis perpetuùm intercessurus, voluerit. At frustrà & sine effectu quoad nos fuissent, forentque isthæc omnia licet infinita beneficia, nisi imperscrutabili sanctissimæ Triadis cõsilio, *procedens à Patre & Filio S. Spiritus* missus esset, influeretque hodienùm, & ad mundi usque finem, per verbum in hominum corda, accendens in eis Fidem solùm salvificam, coërcens subinde innatas carni concupiscentias, debellans Sathanæ seductorias vires, excitans in

nobis



nobis salutares super commissis iniquitatibus contritiones, & gratuitæ adoptionis fidem in nobis constantissimè confirmans. Hujus ergò *S. Spiritûs* Personam, officium actusq; Sacratissimas dum fusius hisce festis diebus in Templis exaggerant fidelissimi, quibus abundè ditata est hæc civitas, Divini Verbi Præcones, nostræ quoq; in Academiâ partes sunt, ut piâ quâdam meditatione Festum hoc concelebremus, inq; eum omninò finem præsens hoc pro laudatissimo more Programma scribitur. Nec tamen admittit vel temporis concessi augustia, vel pagellarum præsentium exilitas, ut omnia & singula, quæ augustissimæ hujus materiæ amplitudo meditanti animo suggerit, exactius prosequar & exprimam. Sufficiet in præsens unum vel alterum devotè delibare, ansamq; & stimulos suppeditare fusiùs ista salubriterq; meditandi. Et quoniam inquietissimô hoc turbulentôq; seculô de *Pace* inprimis ac tranquillitate cogitant piæ mentes, adq; illam quàm maximè anhelant, fateor me sanctis hisce meditationibus animum applicantem, ex plurimis, quibus *Sancti Spiritûs Numen* in Verbo Sacro insignitur nominibus, id præ cæteris arripuisse, & devotioni meæ subjecisse, doctrinæ & Solatii plenissimum, quo *Spiritûs Pacis* appellatur. Agite ergo, ô mei, præibo vos piâ de *Pace* meditatione, vos, concessi vobis pariter *Pacis Spiritûs* ductu, plura his & meliora fortè devotioni vestræ adjungite. *Pacem* qui dixerit, *summam*

mam bonorum omnium dixerit; aſt ô feliciſſimum & beatum eum, qui *Pacem* poſſederit! Triplex verò cum dari conſtet *Pacis* Bonum, *Pacem* nempe *cum Deo*, *Pacem cum & in nobismet ipſis*, & *Pacem cum Proximo*, unumquodq; horum piè breviterq; conſiderabimus. *Cum Deo* quæ nobis intercedit *Pax*, duo involvit; *Reconciliationem hominis cùm Deo*, & *Acquieſcentiam* (ſic loqui mihi liceat,) *Voluntatis noſtræ* in *Velle Divino*. Utrumque bonum eſt prorſus inæſtimabile. Miſerrima quippe, & nullis etſi perpetuis lacrymis ſat deplorabilis eſt hominis à DEO per peccata alienati conditio, ſecum trahens non hujus ſolùm vitæ infortunia, & in temporali licet, quam mundus ſic æſtimat, fortunâ perpetuam miſerrimamque inquietudinem, ſed æternos, *vah æternos!* æternæ damnationis cruciatus; at *reconciliati & uniti cum DEO hominis* quanta quæſo eſt felicitas & beatitudo? Gratiæ reconciliati ſibi Dei is ſecurus, anteactorũ peccatorũ remiſſa penitus non timet ſupplicia; *DEO unitus* Satanæ nec inſidias metuit, nec inſultus etiam atrociſſimos formidat, in adverſitatibus vitæ cæteroquin intolerabilibus, Divinâ ſuffultus gratiâ, neutiquam ſuccumbit, ad mortem, quam malorum omnium terribiliſſimum mundus exiſtimat, etiamſi vel acerbiſſima fuerit, aut ignominioſa, tantum abeſt ut exhorreſcat, ut lætus eam præſtoletur vel exoptet etiam, ceù miſeriæ omnis finem, & perennis gloriæ deſideratiſſimum inchoamentum. *Acquiescens*

quiescens

quiescens porro in *velle Divino hominis voluntas* vah! quanta secum fert commoda, quanta solatia, quam ineffabilem dulcedinem! Nullæ hic animum exagitant curæ ac sollicitudines, demandati nobis officii partes læti exequimur, necessaria nobis quævis, nec quicquam non salutare à Patre omnipotente & benignissimo cùm πληροφορίᾳ jucundissimà pollicemur & præstolamur. Si quid acerbum aut adversum carni obtigerit, id salutis causâ nobis accidere, & mox, etiamsi vel cum vita demum, transiturum, divino solamine pleni judicam⁹; nec datur in vitâ aut morte amaritudo ulla, quam Divini in nos Amoris certitudo suavissimè non edulcoret. Hanc tamen tum *reconciliationem cum DEO*, tum Ejusdem *Paterni & constantissimi amoris* certitudinem unicè in nobis confirmat *Sp. S. contestando Spiritui nostro, nos esse* (ex gratia propter Christum) *Dei filios*. Cæterum *in & cum nobismetipsis Pacem* quod attinet, tranquillitatem animi, inter Bona summum vel ipsi Gentilium Sapientiores agnoverunt, utrum degustaverint unquam, dubitare licet, cum destituti vero Sanctissimoq; *Pacis Spiritu* censeantur communiter. Nostrûm certè nemo diffitebitur, Hominem sibi relictum naturæq; & Carnis ductu gubernatum perpetua vel concupiscendi, vel timoris inquietudine torqueri, cum nec satiabilis appetitus ulla in re acquiescat penitùs, nec sollicitudines absint unquam, ne pereant facillimè, quæ curis ingentibus maximisq; cum difficulta-

cultatibus ſunt acquiſita. Aſt *Spiritus Sancti* inhabitatione gaudens nec concupiſcentiarum indeſinentes motus, nec curarum perpetuas inquietudines experitur; neq; enim deeſſe ſibi quidquam cenſet, aut poterit cenſere, qui cum Deo poſſidet omnia. Quod ſi eam ſublimioris *Animi quietem* reſpicimus, quã *Conſcientia* moderatur, certè, uti nulla, nequidem infernalis tortura turbatæ Conſcientiæ angore major, ita Conſcientiæ tranquillitati nulla voluptas aut ſvavitas vel comparari meretur. Aſt eam, niſi cui *Spiritus S.* gratiam Dei, ſolo Chriſti (humano nullatenus) meritô partam per fidem intùs obſignat, polliceri ſibi poterit nemo: Quam enim *mundanis immerſi* animi quidam ſibi fingunt *Conſcientiæ integritatem*, non eſt ea quies, ſed Lethargus, ex lethali peccatorum πληθώρᾳ & peſtilentisſima ναρκώσει dependens, ex quo niſi expergefiant, mors in procinctu eſt, non naturalis illa, ſed Spiritualis eheu! quæque æternas in cruciatibus continuis inquietudines involvit. Nec tamen hæc falſa nocentisſimaq; Conſcientiæ quies turbari in nobis aliter, quã *Spiritus Sancti* operatione poteſt, quod dum exequitur, non quidem Pacis Princeps, ſed Belli ac crudelitatum Parens apparet; ſed apparet tantùm: peractô enim hôc acerbioris curationis opere, gratisſima ſuccedit quies, angores ſummos ſvavisſima ſequuntur gaudia. Quæ fuſiùs quam vellem proſequi, niſi chartæ obſtaret anguſtia! Reſtat ultimum

Me-

Meditationis noſtræ membrum de *Pace cum Proximo.* Fluit iſta ex præcedente utraque Pacis ſpecie, unde & Autorem eundem agnoſcit *Spiritum S.*, & ſicuti fundamentum iſtarum eſt, quod à DEO adoptati ſimus ex gratia in filios, ita hæc adoptionis noſtræ haud facile fallax eſt documentum: Ita quippe os veritatis, ipſe JESUS apud *Matth. c.* 5. *Beati Pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Etſi enim regenitis etiã Dei filiis accidere quandoque poſſit, ut pax illis actu non intercedat cum proximo pacem averſante: *pacem* tamen illi, *quantum in ſe eſt* (Apoſtolico obſecundantes monito) *colunt cum omnibus*: Eſt autem in illis, ut Chriſtianâ humilitate obvient Superbiæ, patientiâ vincant injurias, manſuetudine animum adverſarii blandè demulceant, aut demulcere ſtudeant, ſummaque curâ ac ſedulitate feriâ pacem quærant, honeſta pacis media avidè arripiant, offenſas proximo facilè & ex animo, commiſerantes imbecillitati, aut cœcitati condolentes remittant & condonent. Aſt ô quam rara eſt hæc avis in terris! Deturpant eheu! hôc noſtrô inprimis ævò omnes in univerſum hominum ordines ac ſocietates multiplicatæ nimiùm invidiæ, ſimultates, clandeſtina & aperta odia, jurgia, lites, injuriæ, violentiæ, indiciô proh dolor! manifeſtiſſimô, profligatum pertinaci malitiâ *Spiritum Pacis* dereliquiſſe plerorumque hominum corda, & intromiſſum huic facilè ſuccedentem *Spiritum Vertiginis*, Cacodæmonem, cujus quotquot

reguntur

reguntur instinctu, ne dicam imperiô, nec pacem sectantur, nec pacis consilia arripiunt; prætextibus tamen justitiæ, incautis haud ægrè probabilibus, vix unquam destituuntur, suggerente tales abundantissimè Gubernatore eorum, qui, cum nativâ suâ specie sit abominabilis, Angeli Lucis formam induere didicit, ut fallat etiam optimos, istâque sub specie vel ad intimiora consilia improvidè sæpiùs admittitur.

His technis, mei amicissimi, ne circumveniamur, vel ut jam tum circumventi ab hoc tam nocivo Suggestore quantocyùs liberemur, agite *arma* arripiamus *Ecclesiæ, Preces & Lacrymas*: Ac *lachrymas* quidem, quas vera peccatorũ agnitio & seria pœnitentia exprimat, his etenim si fide junxerimus effusum pro nobis largissimè *sanguinem Redemptoris* nostri, ablui poterit omnis illa turpitudo, quam multiplici Legis Divinæ transgressione contraximus, Deo nostro invisam & prorsus abominabilem. Sic mundi corde, sanctas ad DEum elevabimus manus, precibus fatigaturi JESUM Propitiatorem nostrum, Victorem Satanæ gloriosum, ut profligatô â nobis Cacodæmone, Eudæmonum purissimorum custodiæ saluberrimæ nos tradat, immittatque nobis Spiritum suum Sanctissimum, Spiritum *Pacis*, Spiritum *Justitiæ*, Spiritum *Veritatis*. Hunc quotquot recepturi sunt Doctorem, Ductorem, illis *Pacis* nec *consilia* unquam, nec solamina deerunt; *Pax* illis erit *cum Deo & conscientia, Pax cum hominibus, Pax in Vitâ, Pax in Cruce, Pax in Morte*. Veni, ô sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, tuumque in illis ignem amoris accende. Amen, Amen.

P. P. sub Sigillo Rectoratûs, die XXVIII Maji Anno M.DC.LXIV.